

et excusationes quae contra religiosam observantiam omnium decretorum Concilii Plenarii produci contigerit; nec non ad fortiter et suaviter corrigendas negligentias in eadem observantia. Speciatim vero totis viribus curandum erit, ut efficaciter ad praxim ubique deducantur, quae in Concilio Plenario decreta sunt de Indorum ad fidem conversione et eorum institutione in christianis praeceptis et morum urbanitate. Agendum pariter erit, tum de assiduo indigenarum idiomatum studio sacerdotibus urgendo, ut ad salutare missionum opus habiles reddantur; tum de infausta dilatione baptismi parvulorum, ruri vel in locis ubi deficiunt sacerdotes, degentium; tum de corrigenda parochorum negligentia quoad infirmos praesertim rucolas Sacra Eucharistia reficiendos; demum de aliis id genus argumentis, quae ad Dei gloriam et salutem animarum provchendam necessaria vel utilia Episcopis, pro eorum zelo ac prudentia, videantur.

V. Propositiones et sententiae coetus Episcoporum, maxime vero graves difficultates quae in executione et observantia unius vel alterius decreti Concilii Plenarii occurrere possunt, ad notitiam Sanctae Sedis, sicuti par est, accurate deferantur, servata norma praescripta in articulo 995 eiusdem Plenarii Concilii.

VI. Acta huiusmodi consensuum episcopalium breviori qua fieri poterit forma redigantur; et si quae resolutiones vel praescriptiones clero vel fidelibus communicandae videantur, id per literas circulares vel per Epistolam pastoraalem communem, concisa pariter forma exaratam, fieri poterit.

Plurimum autem confidit Sanctitas Sua, per Episcoporum omnium Americae Latinae concordem voluntatem et sollicitudinem, fructus laetabiles ex hisce congressionibus religioni et civitati, Deo iuvante, fauste obventuros.

Quae iussa et optata Beatissimi Patris, dum pro muneris mei officio significo Amplitudini Tuae Illm̃ae ac Rm̃ae, felicia omnia ac prospera a Domino adprecor

Romae, e Secretaria Status, die 1<sup>a</sup> maii 1900

addictissimus

M. CARD. RAMPOLLA.

## DECRETA CONCILII.

## DECRETA CONCILII

---

IN NOMINE  
SANCTISSIMAE ET INDIVIDUAE TRINITATIS  
PATRIS ET FILII ET SPIRITUS SANCTI  
AMEN

---

DECRETUM DE CONSECRATIONE CONCILII PLENARII AMERICAЕ  
LATINAE SACRATISSIMO CORDI IESU ET IMMACULATAE  
VIRGINI MARIAE.

QUONIAM caritas Christi congregavit nos in unum, ut bonum, quod in nobis a Deo requiritur, exequamur, scilicet ut iustitiam loquamur et quae recta sunt iudicemus, Nos, Patres huius Concilii Plenarii, ab ipso initio laborum nostrorum, levamus oculos nostros, in montem, unde veniet auxilium nobis, ad illud nimirum solemniori ratione a Sanctissimo Domino Nostro Leone Papa Decimo Tertio, hodie, nostris oblatum oculis, auspiciatissimum divinissimumque signum, videlicet Cor Iesu Sacratissimum, superimposita cruce, splendidissimo candore inter flammam elucens: in Eo collocamus spem, ex Eo cleri et populi Nobis commissi petimus et expectamus salutem, Eidemque totum Concilium Plenarium Americae Latinae dicatum, deditum ac consecratum volumus, dicimus et solemniter decla-



ramus. Ad dulcissimum Cor Iesu confugientes, infinitam etiam misericordiam Eius imploramus; unanimi humilique ore confitentes peccata populorum nostrorum, quibus benignissimus Dominus saepe ad vindictam provocatus est; et exeuntis iam saeculi peccata omnia solemniter reparatione deplorantes, gratias insuper maximas dulcissimo Cordi Iesu agimus, pro universis beneficiis, civitatibus, et dioecesisbus Nostris, hucusque collatis.

Beatissimae etiam Virgini Mariae sub mysterio suae Immaculae Conceptionis civitatum Nostrarum Patronae principali et universali, totum Concilium Plenarium, universumque clerum et populum Americae Latinae dicamus, donamus et irrevocabili consecratione consecramus, potentissimam huius peramantissimae Matris protectionem, cum praesidio sanctissimi et purissimi Sponsi B. Iosephi, cui America nostra Latina singularissimo et antiquissimo pietatis cultu coniungitur, implorantes; Sanctorum denique Americae Latinae Protectorum intercessionem invocamus, praesertim Sanctissimi Antistitis Thuribii, qui totius Episcopatus Americani luminare maius existit, Sancti Philippi a Iesu, Protomartyris Americani, Beatorum Ignatii de Acevedo et Sociorum, qui Brasilianam gentem, proprio sanguine, Deo consecrarunt, aliorumque Martyrum nostrorum, item Sanctorum Francisci Solani, Petri Claver et Ludovici Bertrandi, Beatorum Martini de Porres, Ioannis Masias caeterorumque sanctissimorum virorum, qui apostolicis laboribus et virtutibus regiones nostras illustra-

runt, necnon Sanctae Rosae Limanae, totius Americae Patronae, et Beatae Mariae Annae a Iesu, quae merito habentur ut duplex candidissimum Lillum, universam Americam Latinam suavissima fragrantia indecensiter delectans et sanctificans.

Ut autem haec consecratio, invocatio, veniae petitio et gratiarum actio solemniter celebretur, volumus, ut diebus nono, decimo, et undecimo praesentis mensis Iunii, in aula Conciliari, recitentur a Reverendissimo Praeside litaniae Sacratissimi Cordis Iesu, respondentibus omnibus Rm̄is Patribus et aliis synodalibus; die videlicet nono et decimo in fine sessionis, et die undecimo in solemnī sessione, post Missam. Quo die, omnes Patres, et proprio et omnium Pastorum et fidelium Americae Latinae nomine, alta voce recitabunt formulam consecrationis huic decreto adnexam.

Denique volumus ut praesens decretum ante omnia alia solemniter promulgetur, in proxima publica sessione.

AD SACRATISSIMUM COR IESU

*Formula Consecrationis.*

Iesu dulcissime, Redemptor humani generis, respice nos, ad altare tuum humillime provolutos. Tui sumus, tui esse volumus; quo autem Tibi coniuncti firmius esse possimus, en hodie Sacratissimo Cordi tuo se quisque nostrum sponte dedicat. — Te quidem multi novere nunquam: Te, spretis mandatis tuis, multi repudiarunt. Miserere utrorumque, benignissime Iesu:



atque ad sanctum Cor tuum rape universos. Rex esto, Domine, nec fidelium tantum qui nullo tempore discessere a Te, sed etiam prodigorum filiorum qui Te reliquerunt: fac hos, ut domum paternam cito repetant, ne miseria et fame pereant. Rex esto eorum, quos aut opinionum error deceptos habet, aut discordia separatos, eosque ad portum veritatis atque ad unitatem fidei revoca, ut brevi fiat unum ovile et unus pastor. Rex esto denique eorum omnium, qui in veteri gentium superstitione versantur, eosque e tenebris vindicare ne renuas in Dei lumen et regnum. Largire, Domine, Ecclesiae tuae securam cum incolumitate libertatem; largire cunctis gentibus tranquillitatem ordinis: perface, ut ab utroque terrae vertice una resonet vox: Sit laus divino Cordi, per quod nobis parta salus: ipsi gloria et honor in saecula. Amen.

*Deinde subiungit Rōm̄s Praeses Concilii:*

Parce, igitur, parce, Domine, populo tuo et mitte peccata nostra et populorum nostrorum quibus toto exeunte iam saeculo saepe ad vindictam provocatus es. Parce, Cor Iesu suavissimum, parce civitatibus nostris, quae in fide Ecclesiae tuae enutritae, fidei thesaurum, Te auctore, mirabiliter servarunt et contra omnis generis insidias custodierunt.

Suscipe, Cor Iesu sacratissimum, gratiarum actiones Episcoporum et fidelium civitatum nostrarum, quae in abundantia beneficiorum tuorum salvae factae sunt.

Tibi etiam, Maria Virgo Immaculata, Mater nostra dulcissima, quae cunctas haereses sola interemisti in universo mundo, quae in Guadalupano, aliisque omnium civitatum nostrarum pietatis tuae inclitis monumentis tot urbes refugii nobis constituisti, quaeque Tutrix fuisti et Nutrix amantissima civitatum nostrarum in vera fide Filii tui dilectissimi, grato animo ac suavissimo filialis amoris sensu, Concilium Plenarium cum universis Pastoribus et fidelibus Americae Latinae solemnem dedicationem consecramus, offerimus et donamus. Sub tuum praesidium confugimus, et maternae tuae protectioni opera nostra, et fructum laborum nostrorum committimus. Benedic nos, Mater nostra, benedic nos, Patrona nostra Immaculata et potentissima. Tui sumus; monstra Te esse matrem; salvos fac filios Sanctissimi et Immaculatissimi Cordis tui. O Ioseph sanctissime, Tu pariter suscipe nos Sponsae tuae perpetuo donandos.

Vos etiam invocamus, o Sancti et Beati, qui regionēs nostras sanctissimis operationibus illustrastis. Memento nostri, tu praesertim Thuribi beatissime, Antistitum et Synodaliū Americae Latinae exemplar et ornamentum splendidissimum. Respice super nos, o Protomartyr noster Sancte Philippe a Iesu, qui in cruce exaltatus et glorificatus, praekonum Crucis Christi magister et excitator factus es.

Intercedite pro nobis, o Quadraginta Martyres invictissimi, qui duce B. Ignatio de Acevedo Brasilianam gentem proprio sanguine Deo dicastis et consecrastis.



Orate pro nobis, inclyti Martyres Christi, Beati Bartholomaeae Gutierrez, Bartholomaeae Laurel, Petre Zuñiga et Ludovice Florez, qui coronam pretiosissimam sanctitatis Ecclesiarum Americae Latinae purpuratis margaritis illustrastis.

Patrocinium vestrum similiter invocamus, o Sancti Francisce Solane, Petre Claver et Ludovice Beltran, Americae nostrae Apostoli et Protectores, necnon Beati Sebastiane de Aparicio, Martine de Porres et Ioannes Massias, qui apostolicis virtutibus populum nostrum mirabiliter ad Christum traxistis.

Respicite super nos et orate pro nobis, vos etiam Virgines Christi, Sancta Rosa Limana Americae nostrae Patrona, et Beata Maria Anna a Iesu, Lilia candidissima et fulgentissima, quae mirabili virtutum fragrantia totam Americam Latinam delectastis et sanctificastis. Amen.

## TITULUS I.

### DE FIDE ET ECCLESIA CATHOLICA

#### CAPUT I.

##### De professione Fidei.

1. Quoniam sine fide impossibile est placere Deo et ad filiorum eius consortium pervenire, Nos, Patres huius Concilii Plenarii Latino-Americani, a fide, quae radix iustificationis est, incipientes, solemnī professione, confitemur et docemus omnia, quae ab Ecclesia Catholica, sive solemnī iudicio, sive ordinario et universali magisterio, ut divinitus revelata, credenda proponuntur.
2. Speciatim vero admittimus et amplectimur Apostolicas et Ecclesiasticas traditiones, sacramque Scripturam iuxta eum sensum, quem tenuit ac tenet sancta mater Ecclesia, atque omnia et singula, quae a sacrosancta Tridentina Synodo et ab oecumenico Concilio Vaticano tradita, definita ac declarata fuerunt, praesertim de primatu et infallibili magisterio Romani Pontificis, quem beati Petri Apostolorum Principis successorem, Iesu Christi Vicarium ac totius Catholicae Ecclesiae Pastorem ac Doctorem profitemur.
3. Reprobamus omnes errores, sive a Conciliis Generalibus, praesertim Vaticano, sive a Romanis Pontificibus damnatos, nominatim vero illos qui notantur tum in Encyclica Pii IX fel. rec. *Quanta cura* et in ad-